



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Io. Iac. Chiffletii De Linteis Sepulchralibus Christi  
Servatoris Crisis Historica**

**Chifflet, Jean-Jacques**

**Antverpiae, 1624**

Cap. XV. Morbi à veneficio sublati per imagines S. Sudarij Vesontini: alia  
de eodem Sudario mira, & scitu digna.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64456](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64456)

## CAPVT XV.

*Morbi à veneficio sublato per imagines S. Sudarij Vefontini: alia de eodem Sudario mira & scitu digna.*

**N**ON vulgare miraculum illud cenferi debet, quo Sudarij Bifontini imagunculae in propulfandis morbis per maleficium illatis maximè enituerunt. Mulier nobilis, coniux Domini à Capellâ, arcis & oppidi Macerientis (*Maisieres*) in Campaniâ Gubernatoris, mense Iunio anni M. DC. XIX. morbo prodigioso vexabatur, vnâ cum filiâ Carolottâ, & famulo Ludouico Brisione. In caufis ægritudinis inueftigandis defudabant Poliatri, fed fruſtrâ: illis enim ignota morbi ſpecies perpetuò fuit: detecta tandem à Ioanne Prineto Societatis IESV Sacerdote à Rhemenſi Collegio illuc miſſo: qui ſuſpicatus veneficio torqueri ægro- tantes, exorcifmorum ope certiùs id agnoſcens, languentium veſtimenta in ignem coniici iuſſit; quæ dum arderent, fascinate quæ mulieres præ doloris cruciatu propemodum iacuerunt exanimæ. Famuli thorax & pileus ignibus etiam traditi ſunt, eo abſente ac planè inſcio; qui nihilominùs tempore combuſtionis, quaſi morbo ſacro fuiſſet correptus, in terram corruit, cum horribili artuum  
con-

concussione. Blasius Mahon Vefontinus P. Pri-  
 neti socius, in aulam vbi Ludouicus pronus iace-  
 bat progressus, ad tantas eum angustias redactum  
 conspicatus, quamdam S. Sudarij Vefontini ima-  
 gunculam, prototypi contactu sanctificatam, se-  
 cum gestare recordatus, eam iacentis capiti ad-  
 mouit; cuius virtutem illicò persentens semiani-  
 mis, in has voces prorupit, *Ab, ah, Domine, tu  
 me vris.* postque tantillum spatij, à capite mor-  
 bus in pectus descendit: admotà denuò parti la-  
 boranti imagine illà, sæuiit dolor atrociùs; tum  
 saluberrimæ iconis præsidio depulsus, ad tibias  
 prolapsus est. Ecce dum exorcismorum solemnes  
 ritus iterantur, & tibialia illato per strigas malefi-  
 cio infecta flammis absumuntur, ad humani cor-  
 poris molem tibiæ intumescunt; imposità verò  
 imagine, confedit doloris ardor, & post mini-  
 mum temporis nulla molis ingentis nota residua  
 fuit. Eiusdem imaginis beneficio nobiles femi-  
 næ, mater & filia à similibus morbis euaserunt in-  
 columes: quæ postmodum palàm & publicè factæ  
 sunt, quantam Christus Dominus imaginibus  
 Sudarij sui virtutem esset impartitus; qui olim  
 apud Ephesum, sudarijs à S. Pauli corpore delatis  
 super languidos, inesse tantam voluit, vt eorum  
 contactu *recederent ab agris languores, & spiritus* Act. 19.

*nequam egrederentur.* Illa porrò prodigia sanationum in Campaniâ tam multi fidelibus oculis v-  
surparunt, vt nullus dubitandi superesse possit lo-  
cus. Inuisibiles potestates aliàs Vefontione non se-  
mel dilaniari visæ, admotis sudariolis ex diuini ip-  
siusmet Sudarij contactu sanctificatis: (quidni  
enim si magnes vim suam cum applicito ferro  
communicat, hoc possint & sacra lipsana?) Ra-  
rò certè Sudarium publicè explicatur, quin toto  
monte circumsonent terribiles energumenorum  
voces, dæmone vim illam diuinam non ferente.  
Habe alia de Sudario admiranda, & supra fidem  
captumque humanum.

Scriniolum quo reconditur, laminis argenteis  
conflatum, præ vetustate attritum & exesum, de  
nouo resectum est; linteum toties attrectatum  
nusquam defecit, & perdurat integerrimum. Sa-  
cellum S. Sudarij ingredienti tangit loci religio  
& sanctimonia; & vbi ad conspectum eius in  
monte Cælio ventum est, ita se piis mentibus su-  
perfundit Deus, vt omnes haustâ cælestis gratiæ  
vbertate, maximum quamuis laboriosæ peregri-  
nationis fructum se accepisse fateantur.

Visum illud non semel in teatro, vt dum ex-  
plicatur, serenetur pluuium cælum, & sacro  
ostensionis mysterio dentur induciæ. Ibi multi  
reli-

religione perfusi soluuntur in lacrymas, & è flagitiorum emergunt coeno, dum ipsis oculis, eius Sanguinis capeffunt vestigia, quem profusum sol inhorruit, terra gemuit, petræ fenserunt. *Miles ferocioris animi litem quam consanguineo intentarat, morte ipsius finiturum se, deinde ad Mauritiana in Hollandiam castra profecturum dictitans, uti apud se antè decreuerat; statim atque vidit S. Sindonem, planè à seipso mutatus redire in gratiam cum aduersario cœpit.* Annales Societatis I E S V anno M. DC. VI.

Præsenti diuino Numine semper affulget; quod in inspectantes vsque ad eò redundat, vt pios in solito gaudio, impios horrore perfundat: ægris est remedio, mœstis solatio, torpentibus incitamento, periclitantibus saluti.

Mirus est ad illud videndum & adorandum concursus, & affluentium ardor, etiam à longinquis locis, & quà se Christianorum fines pandunt: quodque etiam maximè mirum, omnes eo viso lætiori & pacatiori animo reuertuntur ad suos lares, cum ingenti desiderio illud iterùm videndi & adorandi.

Explicatur bis quotannis publicè ex theatro, die Pasche, & Dominicâ post Ascensionem Christi, matutinis horis; & nusquam prætereà, nisi in gratiam Principum & Magnatum. Frequentes  
ad

88 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI  
ad illud fiunt quadraginta horarum preces,  
vel ad hanc deuotionem aptissimæ, quòd pari ho-  
rarum numero Christus iacuerit in sepulchro, su-  
dario tectus; iterumque quadragesimo post resur-  
rectionem die ad cælos euolarit.

Rarissimè templo id efferunt; quandoque ta-  
men sanctificationis causâ, atque roboris, per ci-  
uitatem supplicando gestatur, vt arca foederis al-  
tera (imò arcâ sanctius) sub diuite conopeo; sed  
non nisi in magnis periculis, & necessitatibus  
publicis: quod tamen & anno M.DC.XXII. factum  
magnâ pompâ, Iulij xxiv. in celebritate Canoniza-  
tionis SS. Ignatij de Loiolâ Societatis IESV Fun-  
datoris, & Francisci Xauerij Indiarum & Iapo-  
niæ Apostoli; ad quorum cultum impensio-  
rem, peractâ generali Supplicatione explicatum est  
publicè in theatro, in quod admissi soli Societatis  
IESV Patres, cum sacrorum Antistitibus, & ciui-  
tatis Gubernatoribus. Iterùm xxix. Septembris  
eiusdem anni, die Archangelo Michaëli festo, in  
pari pro S. Teresiâ festiuitate, in nouum Sancti-  
monialium Carmelitarum templum delatum  
est; & præter morem, ad cancellos sacris Virgini-  
bus imago diuina proposita est adoranda.

Nunc de Taurinensis Sindonis historiâ & mi-  
raculis.

CA-

## CAPVT XVI.

*De Sindone Tauwinensi, vnde illa proximè  
Camberium aduecta.*

SIVE id iniquitati temporis adscribi debet, quæ  
rerum originibus caliginem offundere solet,  
siue etiam paucorum calliditati, quibus sacrum  
hoc pignus è longinquo, quàm è vicinorum Prin-  
cipum ditioe arcessere tutius visum est; aut quos  
fortasse incessit metus (inanis vtique, vt ex dicen-  
dis constabit; ) ne illud quippe non à legitimis  
Dominis traditum, præter ius fasque obtinere vi-  
derentur; varia sanè ac multiplex in vulgus sparsa  
est, eius Camberij accepti ratio. Nam vt omittam  
leuiore rumusculos; eam nempe Sindonem ab  
Aegyptiâ Iudæave feminâ, captiui apud Du-  
cem Sabaudum coniugis pretium relictam; &  
alia id genus, quæ nonnulli vel certis in Com-  
mentariis legisse, vel à maioribus fando accepisse  
se dictitant; Franciscus Adornus Genuensis è  
Societate IESV, in epistolâ de Votiuâ peregrina-  
tione anno salutis M.D.LXXVIII. à S. Carolo Borro-  
mæo ad Camberiensẽ Sindonem institutâ,  
quam Pingonius ex Italico Latinam fecit, hæc  
habet: *Familiam Lusignanam, regnum Cyprium*

M

G